

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3057

**Auteur(s)** : Philippe l'Evêque [particulier]

**Auteur(s)** : Dreux de Saint-Martin [particulier]

**Bénéficiaire(s)** : Robert Burnell, Bath (évêque), Wells (évêque)

**Genre d'acte** : lettre

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1289, 26 septembre

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Rapport de l'enquête sur les terres du Comte à Guernesey, ordonné par la commission (Cartulaire de Jersey, n° 136 ; SCRIPTA 3056).

Ce rapport est adressée à Robert Burnell, évêque de Bath et Wells, Chancelier du Roi.

Les Jurés de la Cour Royale rapportèrent que le Roi y percevait l'aide du Roi, avait la vue du varech, et autres régaliés. Il tenait aussi les plaids de l'épée.

Ils expliquent ensuite la procédure qui a eu lieu dans le procès entre l'abbaye du Mont Saint-Michel et Guillaume de Cheney et comment le fief avait été pris entre les mains du Roi.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Société jersiaise , *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n° 137, p. 210-212.

Texte établi d'après a

Magistro sapientissimo ac domino R. permissione divina episcopo de Baa. et Well. cancellario domini Regis Anglie suo karrissimo domino Philippus dictus Episcopus, Droco de Sancto Martino et Philippus Fondanc sui subjecti et humiles salutem et reverenciam cum honore. Cum nobis datum fuisset in mandatis ut inquireremus secundum tenorem mandati domini Regis nobis directi tam de jure dicti domini Regis si quod sibi competat in terra que vocatur Terra Comitum in insula de Gerner. quam de jure virorum religiosorum abbatum et conventus Montis Sancti Michaelis in periculo maris ac Felicie quondam uxoris domini Guillelmi de Chaene militis. Noveritis nos presentibus coram nobis procuratoribus et attornatis partium hujusmodi negotium contingentium inquisivisse primo per juratos curie dicte Insule qui unanimiter dixerunt per sua juramenta quod dominus Rex capit in dicto feodo ad festum Paschat. xl. solidos turonensium et ad festum beati Pauli xl. solidos turonensium de firma que dicitur auxilium Regis et quod habet visum verecci ibidem piscem regalem cum acciderit escalletam siricam sine opere aurum et mantellum sine estacheis et totum placitum de ense. Item capit in feodo au Legat tridecim quarteria frumenti et dimidium et ix. solidos turonensium uno denario minus. Item in feodo de Sotouart capit xij. quarteria et unum boissellum frumenti et duodecim solidos turonensium tanquam escaeta, ea videlicet ratione quod partem Normannorum tempore guerre tenuerunt. Qui dicti duo feodi in dicto tenemento Comitum continentur. Item dicunt quod idem Guillelmus dictum tenementum Comitum emit de Baldouino de Ver cum pertinentiis et suis escaetis audiencia inde facta in parrochia, sed dictus B. sibi quedam calcaria valoris quatuor sterlingorum retinuit in predictis et quod dictus G. dixit quod maritagium dicte sue uxoris propter hoc vendiderat sed nesciunt utrum fuerit verum nene quia dictum maritagium

non erat in partibus insularis conditione apposita tali emebat sibi et dicte sue uxori ita quod ille duorum qui magis viveret dictam terram Comitis teneret cum pertinentiis supradictis. Item dixerunt quod dicti religiosi infra xl. dies ejusdem venditionis postea facte ad dictam Insulam accesserunt et dictum Guillelmum convenire fecerunt de eadem et eidem inde nummos obtulerunt in parrochia et locis aliis quos idem G. penitus recusavit, petentes dicti Religiosi dictam terram ratione retractus et quod ibidem habent decimam et melagium et dixerunt quod idem Guillelmus venditionem consuetam priori de Valleio tanquam domino capitali obtulit et ipse prior eandem refutavit ne ipsis religiosis inde prejudicium generaretur in premissis et pendente placito illo idem G. decessit et post mortem ejus Guillelmo primogenito dicti defuncti, dicti religiosi de eadem querela litigarunt placito eodem pendente dictus primogenitus expiravit et post mortem istius iidem religiosi Colino fratri et heredi extremi mortui litigarunt de predictis, qui dictus Colinus erat minor annis existens minorem etatem allegavit et tunc placitum illud dilationem usque ad suam legitimam etatem cepit et sua legitima etate veniente tantas contumacias fecit quod terra illa in manu domini Regis fuit capta et tunc dictus Colinus comparens in curia suas contumacias salvavit eo quod non fuit ad suam residenciam citatus et postea fuit citatus et ut debuit vocatus comparuit dicens quod nichil quoad nunc habere clamabat in premissis, immo Felicia mater ejus vita sua comite dictam terram debebat tenere et habere ratione supradicta. Dicta Felicia licet vocata non comparuit, immo de dicta insula exivit et placitum illud sic in pendulo remanxit et quod si fuerit in manu domini Regis arrestata seu capta non unquam per judicium fuit deliberata nisi de voluntate ballivi prout credunt. Scientes nos per alios xij. homines fide dignos et legales de dicta insula inquisisse qui per sua sacramenta dixerunt eadem verba que alii jurati dixerant de premissis nisi de hiis que acta fuerant in curia sed dicebant quod jurati assisie coram quibus res acta inde fuerat cum ad hec presentes non fuerunt veritatem inde dixissent quia eis deberetur fides adhiberi quod credebant. Quod vobis et regali consilio per appositionem sigillorum nostrorum et sigillorum juratorum assisie et tenore presentium significamus hec omnia et mandatum nobis directum remittentes. Valete. Actum anno Domini m°. cc°. octogesimo nono die Lune ante festum beati Mich. in Monte Gargano.